

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2196

**Auteur(s) :** Guy, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Fontenay-le-Marmion (chapelle)

**Bénéficiaire(s) :** Jeanne Taisson, dame de Thury [autre]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1247, 2 décembre

**Lieu d'émission :** Bayeux

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

« Cest la lettre du fondement de la capelle de Fontenay le Marmion de le evesque de Baieux(analyse du milieu du XIVe s.) ». Fondation de la chapelle de Fontenay-le-Marmion par l'évêque de Bayeux à la demande de Jeanne Tesson, dame de Thury.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° CXIV, p. 153-154.

Texte établi d'après a

Universis sancte matris Ecclesie filiis presentes litteras inspecturis, G. divina permissione Baiocensis ecclesie minister humilis, salutem in omnium Salvatore. Nobilis domine Johanne, domine de Tureyo et de Fonteneto le Marmion, frequentes et continuas supplicationes eas devotione maxima prosequente recepimus continentes ut eidem divine pietatis intuitu in manerio de Fonteneto le Marmion de celebrando divino servicio et audiendo in capella quam in eodem hoc manerio providere christiana sollicitudine curaremus, attendentes igitur devotionem et fidem quam eadem nobilis domina erga ecclesiam et circa divinum gerere dignoscitur obsequium et quod habet desiderium et affectum circa sacri cultus augmentum, ipsius pie supplicationi duximus annuendum, secundum quod inferius est plenius annotatum. Ad universorum igitur noticiam volumus tenore presentium pervenire quod nos eidem nobile domine, de consensu et assensu pariter ac voluntate rectoris matris ecclesie sancti Hermetis de Fonteneto le Marmion, nostre diocesis, et religiosorum virorum abbatis et conventus beate Marie de Barbereyo. dicte ecclesie de Fonteneto patronorum, concessimus ut ipsa divinum officium, nocturnum pariter ac diurnum, in predicti manerii sui capella audire valeat et videat celebrari per ydoneum presbyterum ab eadem domina et suis heredibus nobis et nostris successoribus presentandum, et in eadem capella instituendum canonice auctoritate nostra. Domina autem supradicta pro anime sue, parentum et antecessorum suorum salute teneatur in puram et perpetuam elemosinam assignare duodecim libras turonensium annui redditus, infra instans festum beati Johannis Baptiste, presbytero qui in dicta capella personaliter et continue tenebitur deservire. Tenetur eciam et promisit domina supradicta infra supradictum festum in puram perpetuam elemosinam assignare quadraginta solidos turonensium annui redditus rectori matris ecclesie sancti Hermetis memorate ville pro recompensatione (sic) oblationum dicte capelle, que capellano in eadem capella deservienti, ut dictum est, remanebunt, exceptis

oblationibus omnium parochianorum sepedicte matris ecclesie. De quibus fideliter servandis et restituendis insuper de viribus parochialibus non usurpandis institutus in dicta capella infra octo dies post receptionem suam ad capellam eandem tenebitur eidem rectori prestare corporaliter juramentum. Dicta siquidem domina cum tota familia sua, sicut prius parochiana sepedicti rectoris quo ad alia remanebit, ita tamen quod ipsa nec ejus familia compelli poterunt tempore aliquo divinum audire officium in dicta matrice ecclesia, nisi velint ; familie nichilominus in eodem manerio residentes in dicta matrice ecclesia per rectorem predictum sacramenta recipere ecclesiastica tenebuntur. Interdum autem, usquedum predicti redditus plene fuerint assignati, dicta domina tenetur capellano dicte capelle solvere viginti solidos turonensium quolibet mense ; sepedicto autem rectori ecclesie matris tenetur solvere viginti solidos turonensium ad Natale, et viginti solidos turonensium ad predictum festum beati Johannis Baptiste, prout in litteris predicte domine quas inde habemus plenius continetur. Hec autem omnia et singula sic duximus ordinanda, non intelligentes vobis vel successoribus nostris quo ad episcopalia jura prejudicium aliquod generare, sed nobis et successoribus nostris in omnibus salvo jure. In cujus rei testimonium, presentes litteras eidem nobili domine sigillo nostro tradidimus sigillandas. — Actum Baiocis, anno Domini M° CC° XL° septimo, die lune proxima post festum beati Andree apostoli.